

non dubitant, consistit: Quandoquidem autem liber iste, cuius mentionem Princeps Anhaltinus in literis facit, in Bibliotheca Vestrae Serenitatis procul dubio reperitur, egoque pro humillima tenuitate quid sentiam pluribus perscripturus, magnumque collectorum vocabulorum numerum huic operi collaturus, usum istius libri (ni fallor D. Henischii) ad aliquot dies humillime expeto.

Porro multas habeo causas, alteram editionem Grammaticae Germanicae maturare, prodibit enim longe exactiori et auctioni facie; etiam bibliopola aut Hamburgi aut Lubecae suis sumptibus denuo edendam dudum expedit, Illustr. etiam Princeps Anhaltinus Cötheniis typis libellum istum exscribendam (sic!) videtur velle: Cum autem opusculum Augustissimo Vestrae Serenitatis nomini sit dicatum, quam plurima etiam nova et utilia hactenus taliter nondum collecta et ostensa (quod res ipsa volente Deo probabit) continebit, etiam Graeca, Latina, Gallica et alia exotica saepissime intercurrentia exactiorem correctionem merito requirant, indicium obedientissime facere debui, fierine possit clementi cum consensu Vestrae Serenitatis, ut alio in loco liber imprimatur, aut potius jussu et subsidio aliquo difficultatem clementissime sublevare et editionem in hoc celebri Vestrae Serenitatis loco fieri posse consentire: Typographus hic nec necessariam varietatem nec copiam typorum habet: an Stellae autem lucem huic dare possint aut debeant, Vestrae Serenitatis est jubere, et me hac in re dubium aliquo clementissimi adsensus verbulo informare, qui illud obedientiae meae debitum putavi, indicium hujus propositi prius ad Vestram Serenitatem deferre, meque ut in hisce ita et in omnibus mearum virium aliis praestare

Vestrae Serenitati
addictissimus obedientissimusque.